



MEMORIALE
Nomine
SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS
POLONIÆ ET SVECIÆ
Ad
SERENISSIMOS, EMINENTISSIMOS, ILLUSTRISSIMOS,
S. R. IMP. ELECTORES, PRINCIPES ET ORDINES
directum & exhibitum
Ab
Eiuſdem Regiæ Maieſtatis Ablegato,
Regni Pol. Cancell. Regente
ANDREA DE OLSZOWA OLSZOWSKI
Cracovien. Poſn. Præpoſito Metropol. Gneſn. Canon. Dno. hæreditario in Jarocice & Mieczuy.



M. DC LVIII.



MEMORIALE.



Ellum à Svecis adversum Polonos, quàm indignè, nè graviore verbo utar, incæptum gestumq; sit, nemo non agnoscit. Sed judici Deo & Vindici, curæ aliquando erit, abruptas inducias, eversam fidem, Divini humaniq; Juris postpositi nefas impunè non omitti.

Porrò Serenissimus & Potentissimus Rex Poloniæ & Sveciæ Dominus meus Clementissimus: meritò existimat, publicam connexamvè Germaniæ & Poloniæ causam in eo verti, spectareq; ad Sacri Romani Imperij injuriam, quidquid contra Regiam Ejus Majestatem & Rempublicam Polonam Sveci patravêre. Cum enim Pace universali Monasteriensi Reges & Regnum Poloniæ comprehendantur, integritatis Pactorum, exindeq; tranquillitatis Imperij Romano Germanici interfuit, ac porrò interest, Regni amici, Vicini, & fœderati curam & defensionem suscipi, hostilitatem omnem, motusq; novos prohiberi, nè procedente primo Svecorum ausu, ulteriorem licentiam svadeat ipsa tolerantia, & semel accensa belli face, Vicinus etiam paries deflagret.

Minimè verò fides sit, otiosè Poloniam Instrumento Pacis insertam esse, aut Svecos vigore ejusdem Instrumenti nulla obligatione teneri ad Pacem cum Polonis observandam.

Nimirùm, visum est Svecis, inter causas armorum, primo loco exponere Bothium nescio quem Cæsarianum Colonellum, quod gnaro & connivente Rege Divo Vladislao cum Germania bello flagraret, per Provincias & Ducatus Regni Poloniæ *pervaserit ad infestandam armis Livoniam*, & postquàm *instigante Rege, ac impellentibus Polonis expeditio illa suscepta esset, plurimum mali inopina Bothij irruptione subditis Regni Sveciæ ibi locorum allatum, multi trucidati, bona eorum direpta & spoliata, magnusq; metus illi Provinciæ illatus fuerit.*

Expressius etiam crimini datur, quasi irruptione Krokovij Cæsareani Ductoris in Pomeraniam *res Svecorum in Germania turbatas, eamq; Provinciam devastatam Poloni* voluerint, adeoq; non satis fuerit *Krokovio transitum à Polonis indultum fuisse, verùm etiam ex Putcensi fortalitio, alijsq; in Borussiâ locis auxilia & tormenta eidem submissa.*

Quæ

Quæ tametsi vanitatis plena, cum insuper oblivione perpetuâ & Amnestiâ generali ità *sepulta sint*, ut non liceat *eorum vel ullius alterius rei causa aut prætextu* (quidquid occasione ac tempestate belli Germano Svedici clàm vel palam, directè vel indirectè, ultro citroq; commissum fuerat) *hostilitatem, inimicitiam aut molestiam* inferri, *sub pœna fractæ pacis ipso jure & facto incurrenda &c.* sanè istiusmodi causas extinctas abolitasque resuscitare, ac bello contra Poloniam tabulis Monasteriensibus inclusam & absolutam vindicare, Sveci nullatenùs poterant, sine ingenti præjudicio imò rupturâ Pacis universalis.

Utcunq; verò foret, si à Sveciâ ipsâ, vel ex Livoniæ Svedicâ ditione bellum intra Poloniæ Regni viscera invectum fuisset: sed cùm è Pomerania Imperij Romani Provincia ortum progressumq; habuerit; cum Exercitus Svedicus in dicta Pomerania, uti & in Bremensi, Verdensi, Meckleburgensi, alijsq; terris scriptus, auctoratusq; sit, neq; adhuc conscribi, suppleri, refoveri, & contra Poloniam emitti desinat, perturbatæ profectò Germaniæ *& fractæ Pacis* culpa, tot atrocia & infesta: ac secutura (quod Deus avertat) majora mala, Svecis auctoribus debentur.

Accedit, sociatis viribus tam Principum nonnullorum quam Civitatum Imperialium injustissimum post hominum memoriam, Sveciæ contra Polonos bellum promotum, & sustentatum fuisse, atq; in hunc diem promptis auxilijs, & continuis supplementis, (quod Sacra Regia Majestas Poloniæ & Sveciæ Dominus meus Clementissimus injuriæ ducit, doletq;) plus ultrà sustentari: planè ut non Sveciæ magis, quam Germaniæ viribus Polonia nihil tale commerita, concutiatur.

Eapropter, consentaneum duxi nomine sæpememoratæ Sacræ Regiæ Majestatis Regniq; Poloniæ rem totam ad Serenissimos, Eminentissimos, & Illustrissimos Sacri Romani Imperij Electores Principes & Ordines decentèr referre, ac officio quo par est postulare, nè Regni Poloniæ Pacis Germano Svedicæ consortis facta per Svecos invasio, nè ex Pomeraniâ, alijsq; terris Imperij prima & ulterior hostilitas: nè Principum & Civitatum Germaniæ, subsidia, & quotidiani pro Sveco militares delectus, dissimulatione & silentio habeantur, sed communis planè causa, communibus studijs, consilijs, & auxilijs juvetur, ac obtinendæ publicæ & securæ tranquillitati, vel reprimendo malo maturè consulatur.

Est porrò aliquid etiam momenti in Regni Poloniæ conservatione & integritate, quod everso hoc antemurali, velut aggere rupto, verendum sit, nè barbararum gentium colluvies, (quæ nuper finibus ipsis admota, nec longius unius diei itinere à Silesiâ distans, periculi in posterum monet terretq;) Vicinam Germaniam inundet.

Quæ singula & omnia prudentèr expendenda Sacri Romani Imperij Electoribus

ctoribus, Principibus & Ordinibus paucis ad præsens submittens, nullus dubito, justo dolori & læsioni gravissimæ Sacræ Regiæ Majestatis Domini mei Clementissimi, & universæ Gentis Polonæ pro præterito: ac in futurum securitati, opportunum, atq; ex sæpe dictis Pactis jure debitum allatum iri remedium.

A. Olszowski m. p.

